

lum; ergo nemo potest eum velle sine peccato. Atqui nolle pœnitere, est velle manere in statu illo; ergo est malum.

R. D. Cons. Ergo nemo potest eum sine peccato velle positive, in eo sibi complacendo, eum approbando et eligendo C. nemo potest eum velle permissive, illum ad tempus permittendo N. Dist. etiam subsumpt. Positive velle non pœnitere, est positive velle manere in illo statu C. permissive se habere circa omissionem pœnitentiae, eam differendo, est positive velle manere in illo statu N. Non omne id licet positive velle, ad quod licet se habere permissive: nec enim Deus ipse potest velle peccata, quæ permittit: et nos multa proximi mala non tenemur impedire, quæ velle non licet.

ARTICULUS III.

90. Nota. Impoenitentia est negligentia vel omissio pœnitentiae. Hæc si voluntaria non sit neque directe, neque indirecte, vitio nemini vertetur: peccatum enim, ex celebri illo B. Augustini prologo, aut voluntarium est, aut peccatum non est. Quapropter qui ex invincibili ignorantia, naturali obliuione, inconsideratione, aut alia simili impotentia actum pœnitentiae tempore præscripto omiserit, peccatum novum impoenitentiae non committet: impoenitentia enim ista, quasi materialis est.

Ut autem formalis impoenitentia sit, debet esse actus voluntarius, quod duplice contingere potest; primo directe, cum quis actu expresso voluntatis destinat pro objecto omittere pœnitentiam eo tempore, quo agi ex præcepto deberet. Si ergo voluntas *ex parte objecti* feratur in omissionem pœnitentiae pro eo tempore, pro quo præceptum obligat, etiamsi diu ante destinatum lege tempus id decreverit, impoenitentiae peccatum admittet, saltem secundum affectum: quamvis enim præceptum affirmans non obliget ad exercendum continuo actionem injunctam, prohibet tamen effectus sibi repugnantes, quo modo vim habet præcepti negativi.

Indirecte vero seu interpretative omissio voluntaria pœnitentiae accidit quando ex negligentia culpabili actus omittitur tempore debito, vel ex ignorantia vincibili vel ex certa scientia, sine voluntate quidem directa omittendi, cum voluntate tamen agendi, vel retinendi aliquid incompossibile cum præcepto.

91. Dico. Impoenitentia, præsertim finalis, est speciale peccatum, idque unum ex gravissimis.

Prob. 1^a. pars. Si datur speciale præceptum pœnitendi; ejus violatio est peccatum speciale: atqui datur præceptum speciale pœnitendi; ergo. Major est evidens ex eo, quod peccatum sit legis prævaricatio. Minor item constat ex articulo 1. hujus capituli, et ex conclusione art. 3. cap. 2. Neque ista solum accipi debent de proposito directo non pœnitendi, sed etiam de negligentia pœnitentiae indirecte seu interpretative voluntario: si enim in omni alia omissione peculiaris præcepti illud voluntarium sufficit ad speciale contrahendam malitiam, sufficiet etiam in omissione indirecte volun-

taria præcepti pœnitendi, cuius malitia moraliter non est diversa a malitia omissionis directe intenta.

Confirmatur thesis 1^o. ex S. Thoma, qui 2. 2. q. 14. a. 2. ait, impoenitentiam prout numeratur inter species peccati in Spiritum sanctum, non dicere solam permanentiam in peccato, sed propositum non pœnitendi: et in 2. dist. 43. significat, unicum modum committendi hoc peccatum speciale, esse per formale propositum.

Conf. 2^o. Propositum non pœnitendi est specialis actus voluntatis tendens in objectum habens specialem malitiam moralem, neque aliam nisi impoenitentiae: nam si quis est fornicatus, et alius pejeravit, et postea pœnitere nolint, non contrahent novam malitiam fornicationis, aut perjurii; sed uterque unicum ejusdem speciei impoenitentiae peccatum, licet peccata, ob quæ pœnitentiam nolunt agere, diversæ speciei sint.

Pars 2^a. sequitur ex modo dictis. Talis enim non ad tempus, sed in perpetuum spernit amicitiam, beneficentiam et gloriam Dei: atque ita peccat ex proposito in Deum Patrem, qui ipsum creavit et vocavit; *Filium Dei concusat, sanguinem testamenti pollutum ducit, in quo sanctificatus est; et Spiritui gratiae contumeliam facit*, ut habetur Hebr. 10. v. 29. Totam ergo SS. Trinitatem gravissime offendit. Denique sui hostis infensissimus immensa et infinita mala sibi sponte accersit.

92. Obj. I. Si impoenitentia est speciale peccatum, quilibet impoenitens necessario cum infinitis peccatis moreretur: nam de ipso etiam peccato impoenitentiae teneretur dolere, cuius neglectu nova impoenitentia se obstringeret, de qua iterum teneretur pœnitentiam agere, sicque peccaret in infinitum.

R. N. sequelam utramque. Qui peccati unius, v. g. homicidii reus morte improvisa abripitur, quin ante de pœnitentia cogitaverit, damnatur ob unicum duntaxat peccatum homicidii. Qui vero statuit non pœnitere, non tenetur, dum in hoc malo proposito perseverat, de eo pœnitere: impossibile enim est peccare simul et pœnitere.

93. Obj. II. Omnia peccata mortalia adversantur justitiæ et caritati Dei et sui ipsius; ergo impoenitentia non est speciale peccatum contra justitiam, cuius species est pœnitentia, et contra caritatem, sed malitia illius transcendit omnia peccata mortalia.

R. D. Ant. Omnia peccata mortalia adversantur justitiæ et caritati, malitia aliqua communis et generica C. malitia quadam peculiari, et ultima quadam differentia specifica soli proposito non pœnitendi propria N. Sic Dist. Cons. et præcipue ejus 2^{am}. part. Impoenitentia malitia generica, materialiter eadem et communis transcendet omnia mortalia peccata C. impoenitentia malitia specifica, formaliter diversa et propria transcendet omnia peccata mortalia N. Quamvis inobedientiae malitia transcendet omnia peccata mortalia; qui tamen de industria statueret non obediens Deo, peculiare peccatum inobedientiae, etiam in confessione explicandum committeret. Eodem modo licet omne peccatum adversetur caritati et justitiæ; si quis tamen proponeret non pœnitere, ultimæ ac specificæ differentiæ peccato impoenitentiae se obstringeret, cuius malitia in eo consistet, quod specia-

tim opponatur, tum debito satisfaciendi Deo, tum æternæ conjunctioni cum Deo per amorem, et adoptioni salutis, quam imponitens irreparabiliter excludit, omnem illius spem sibi praecidendo. Secundum hanc doctrinam apparet, quomodo S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 2. in 0. dixerit, impenitentiam, eo modo, quo dicit permanentiam in peccato, non esse speciale peccatum, sed quamdam peccati circumstantiam: nimur accepit impenitentiam negative pro omissione pœnitentiae secundum se, et permanentiam pro continuatione actus: sicut etiam in 2. d. 43. a. 3. ad 3. ait, perseverantiam esse tantum circumstantiam virtutum.

Advertisendum tamen est, quod S. THOMAS dicta quæstione 14. tractans de peccatis in Spiritum sanctum, solo directo proposito non pœnitendi doceat peccatum impenitentiae in Spiritum sanctum committi. Hinc cum art. 1. in 0. retulisset doctrinam B. AUGUSTINI serm. 41. de Verb. Dom. (al. 71.) dicentis, peccari in Spiritum sanctum impenitentia finali, quæ corde, ore, et opere potest contingere; in responsione ad 3. ait, hoc non esse speciale peccatum: *Nam finalis impenitentia potest esse circumstantia cuiuslibet generis peccati.* Hoc autem S. THOMÆ usitatum est, ut, quando unum peccatum habet plures circumstantias, quæ ei diversas malitas addere queunt, non vocet plura peccata, sed unum; quod sit ex objecto unius speciei, pluribus licet affectum circumstantiis. Circumstantia ergo persistendi in peccato lethali secundum se non variat speciem, nisi quando urget necessitas ad actum pœnitentiae exercendum. Quo in casu etsi omissio pœnitentiae virtualiter solum voluntaria peccatum in Spiritum sanctum esse B. THOMÆ non videatur; peccatum tamen mortale impenitentiae esse, ac ejusdem speciei, cuius est impenitentia directe volita, ex eodem S. Doctore intelligimus, qui 3. p. q. 84. a. 7. ad 1. et 2. tradit, esse præceptum naturale pœnitendi: constat autem ad eamdem peccati speciem pertinere præcepti violationem, sive directe, sive indirecte voluntaria fuerit.

DISPUTATIO II.

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

Tractabitur hic I. de veritate hujus Sacramenti. II. De ejus forma. III. De contritione. IV. De confessione. V. De satisfactione. VI. De indulgentiis. VII. De pœnitentia publica. VIII. De ministro hujus Sacramenti, præmissa de eodem sacramento summa doctrinæ catholicae ex conciliis FLORENTINO et TRIDENTINO.

*Decretum Concilii Florentini de Pœnitentia sub Eugenio IV. an. 1439.
pro Armenis.*

Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: *Ego te abservo, etc.* Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.

*Canones Concilii Tridentini de sanctissimo Pœnitentiae sacramento,
Sess. 14. die 28. Novembris an. 1551. sub Julio III.*

I.

Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

II.

Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.